

tei ut vobis iustificationis

ut ni que coiuon omi m

ur im gaudium alle

episcopis suis omnesque de



ov

richt in d.

40

Ug 77, 9



F. F. I. E. D.  
**DISPUTATIO JURIDICA  
 DE  
 OBSESSIONE  
 VIÆ,**

Quam,  
 Consensu Magnifici JCtorum Ordinis,

in Almâ Leucoreâ,

PRÆSIDE,

VIRO

Nobilissimo, Amplissimo, Consultissimo,

Excellensissimoque

**DN. JOACHIMO NERGERO,**

JCto, & Antecessore in hac Academia longè Celeberri-  
 mo, Curiæ Elect. Scabinatus, & Facultatis Juridicæ,  
 quæ hic sunt, nec non Judicij Provincialis, quod  
 in inferiori Lusatia est, Adseffore gravissimo,

Dn. Patrono, ac sti diorum suorum Promotore

ætatem devenerando,

publicè discutiendim proponet,

AUTOR

**CHRISTIANUS SCHRADERUS,**

Magdeburgensis,

In Auditorio JCtorum  
 ad d. 17. Octobr. M. DC. LXVIII.

Typis Johannis Haken.



Reverendissimo, Serenissimo atque  
Celsissimo Principi ac Domino  
**DOMINO**  
**AUGUSTO,**  
**Postulato Admini-**  
stratori Primatus & ArchiEpiscopa-  
tus Magdeburgensis , Duci Saxoniæ,  
Juliaci Cliviae ac Montium, Landgra-  
vio Thuringiæ, Marchioni Misniæ ,  
nec non superioris & inferioris Lusa-  
ciae, Comiti Marcæ Ravensburgi  
& Barby, Dynastæ in Ra-  
venstein &c.  
Domino meo Clemētissimo

**H**

Aude quidem ea captus  
eram impudentia, ut non secus, ac  
quemcunq; cujuscunq; sortis ho-  
minem interpellare solemus, sic  
qvoq; TE NUMEN TERRE-  
STRE, absq; sive rubore sive pallore adire ego  
mecum constituerem. Etenim si nihil aliud, ta-  
men vel Icari ex temerario ausu in eundem redun-  
dans nocumentum meum poterat esse documen-  
tum, ut TIBI, PRINCEPS CELSISSIME, veluti  
Soli fulgentissimo, audentius, quam jus fasq;, &  
propius, quam proficuum, ne appropinquarem.  
At verò quando minimè ego quidem non odora-  
bar CELSITUDINIS TUÆ omnigenarū virtutū  
fragrantiam, quam divinitus nactam SUI S(qv)  
nomine & ante hac Parentes mei beatigratulari si-  
bi habuere) potentissimè regendo, clementissimè  
tegendo, liberalissimè amando, ut endam præbet;  
CELSITUDINEM TUAM verò hactenq; fugiebat,  
quantà ego illa omnia admiratione proseqverer,  
qvātà reverētiā tanta tam laudabilis Principis orna-  
menta colerem; igitur depuduit me tandem, ita  
ut publico monumento testimonium aliquod ani-  
mi mei

Dominio meo Celsissimo

mi mei & affectūs orbi exhiberem. Qvamobrem,  
**PRINCEPS SERENISSIME**, qvōd TUQ ILLU-  
**STRISSIMO NOMINE** vel dissertationem me-  
am juridicam condecorare, vel hac ipsā potius Il-  
lud venerari non dubitārim, opto speroq;, pro  
non vulgaris clementiæ Tuæ magnitudine hocce  
confidentiæ **CELSITUDO TUA** cōdonabit beni-  
gnissimè. Qvo unico si beatum me iri confidere,  
licebit, næ mihi omnium votorum meorum o-  
mnino damnatus videbor, adeo ut nunquam di-  
vini Numinis misericordiā non implorandā mihi  
censuerim, ut **ILLUSTRISSIMA CELSITUDO**  
**TUA**, æqvè ac tota Serenissima Domus, omnis  
desideratissimæ prosperitatis incremento macta-  
ta, qvam diutissimè vivat crescatq; felicissimè! qvod  
precatur

*Reverendissimæ Serenissimæ Cel-*

*situdinis Tuæ*

*Wittenberga Die 20 Octobr.*

*Anno M. DCLXVIII.*

**Humillimus & subjectis-**


**simus servus**

**Christianus Schrader.**

*Magdeburgensis.*


*Domino meo Clementissimo*





I. N. 7.

PRO O E M I U M .



Rimini fractæ pacis publicæ, ubi coadunati homines animo hostili atqve dolosō juxta itinera se occultant publica, ut viatores qvoscunqve vel spolient, vel occidant, aut aliud qvippiam in eos committant; haut absimilis videtur esse obsessio viæ, qvâ qvis oportunum sibi in civitate eligit locum, eundemqve occupat & obsidet, ut prætereuntem adversarium eò commodius invadere, offendere, & tantum non vulnerare queat. Quantam similitudo illa omnimodam & essentialiem horum delictorum identitatem non inferat, ut potè qvod potissimum diversitatis rationem, partim ex animo delinqvendi discriminato, partim ex præpositi finis dissimilitudine desumere quam maximè liceat: Prædones namqve seu latrones ab initio statim ad consequendam tutius prædam viautores hostiliter atqve dolosè invadere, prædari & reluctantes interficere sibi proponunt, idqve dolosum & hostile mentis propositum arguit satis, latronibus & prædonibus singulis ferme momentis occidendi animum inesse. Ast in obsessione viæ res aliter comparata est, ibi nihil lucri sperat obsessor, præterquam qvod ad ultionem suam alteri

A 2

paran-

parandam animum habeat ulciscendi & offendendi, licet postmodum vulnere graviter inficto, & morte immediate ex eo subsecutâ, animus quoque occidendi subfuisse intelligatur; sed tamen hoc sit contra mentem & intentionem obsidentis, quippe qui in ejusmodi casu modum saltem excessit enormiter citra occidendi propositum. Accedit insuper & hoc, quod ad crimen fractæ pacis publicæ commitendum tria communiter requirantur; vis scil. publica, ea que major, quam ut resisti ei queat, vis armata & dolus malus, quorum alterutrum si defecerit, crimen illud atrox commissum nec dici, nec poena ordinaria locum habere poterit. *Carpz. Jurispr. for. p. 4. Const. 13. defin. 2.* Secus verò obtinet in obsecione via, ubi spectatur dolus saltem malus, qui omnibus ac singulis subesse criminibus creditur, ut itaque solas ad identitatem horum delictorum inferendam sufficiens non putetur. Præterea, nec absurdum adeò fore existimarem in jure, si in probanda criminum disconvenientiam ad poenas diversimodè à Majestate constitutas confugeremus; dum enim alia atque alia gravior & durior quidem latronum & prædonum quam obsecorum constituta Poena est, non dubitandum, quin poenarum diversitas, diversitatem quoque delictorum importet, argumento *L. II. ff. de Pœn.* Interim verò quia materia hæc obsecionis perulgata in foro admodum freqvens versatur, non inutilis forsitan nobis imputabitur labor, si eam impræsentiarum penitus paullo discutiendam proposuerimus. **FAC DEUS FELICITER.**

I.

Anteqvam verò ad definitionem percurramus realem, eventilanda nobis obtinget quæstio satis intricata: unum obsecio via absq; offensione subsistere posse? Si in Constitutionem *Elect. Saxon. 13. part. 4.* quæ circa delictum

hoc

hoc præsens disponit pœnaliter, considerationem paullò  
acrius intendere velimus, necesse est, ut ex mente Sereniss.  
Legislatoris negativam apprehendamus sententiam, qvip-  
pe qvæ in concreto ita perpensa, omnem paginam absolvit:  
Obsessor enim ut Obsessor non potest aliter considerari  
qvam ut invaserit vel offenditer, aut nisi ab adversariâ præ-  
peditus fuisset parte, certò certius offendisset, à nudâ nam-  
qve occupatione absq; animo offendendi nemo poterit in-  
cusari veri alicujus criminis, (qvid enim si ob alium finem,  
bonum fortasse, locum Civitatis publicum obsederit?) nisi  
minimum per instrumenta ad offendendum aptanata &  
reddita ex inquisitione Judicis id ad oculum patuerit, ar-  
gument: L. i. §. 3. ff. ad L. Cornel. de Sicar. & §. 5. Inst. de  
publ. Judic. Adeoque offenditionem, qvoad secundum ani-  
mi motum obsessioni inesse, inficiari fortasse nemo pote-  
rit, licet effectus subinde fuerit subsecutus, nec ne, id pa-  
rum aliàs in qvibusdam maleficiis obtinet,, L. 14. ff. ad L.  
Cornel. de Sicar. junct. L. 7. ff. & L. 7. C. eod. & L. 5. C. ad L.  
Jul. Majest. Sed enim verò si in abstracto hanc considera-  
mus materiam, ordinis natura & ratio efflagitat, cum di-  
stinctis distinctè esse procedendum, & ita difficultimum  
maxime, imò summè pericolosum fore putarem, præter  
invasionem & alia reperta instrumenta ad probandum of-  
fendendi animum alioquin necessaria, obsessionis crimen  
inducere atq; probare velle; sapientem qvis obsidet viameti-  
am animo offendendi, nec tñ. animū exemplò offendendi  
exequitur, qvi obsidendi actus qvin qvoad primū animi mo-  
tū obsessio dici possit, dubitandum non erit; Ut proinde nō  
obsidere & nō offendere distincti diversiq; actus esse videan-  
tur: Interim verò Obsessor ejusmodi, ob nudæ saltem ob-  
sessionis prætextum, nullam merebitur pœnam, qui enim  
malè facere voluit, plecti statim & pœnis subdi non sem-

per debet, nisi quod factum voluit etiam fecerit. Cato apud  
*Gell. 7. Noct. Attic. 3.* Quidam facta ipsa cum primis cen-  
senda & in judicium vocanda veniunt, non autem voluntates, quippe quae poenis obnoxiae fieri nequeunt, *L. 18. ff.*  
*de pœn.* nisi voluntatum actus imperati seu exteriores ad de-  
lictum perpetrandum directi sint. Verum hic considerandi  
modus parum ambulat in praxi, quae magis circa concreta,  
quam abstracta, magis circa facta quam nudam intentio-  
nem & voluntatem versatur.

## I I.

Est autem Obsessio viæ (germ. *das Vorwarten*) *A-  
ctio insidiosa*, quâ quis ad ulciscendum se, vias & alia loca  
*Civitatis publica* occupat & obsidet, ut adversarium, cer-  
tò ibi præteritum cognoscens expectet, eumque offen-  
dat. Loco Generis ponitur Actio: Vocabulum Actionis  
Genus hic adæquatum & proximum constituit, idque o-  
stendimus, tûm ex parte Obsessi; tum etiam ex parte Ob-  
sidentis. Ex parte obsessi, qui, dum læditur ab alio, cogi-  
tur aliqvid pati, jam verò omnis passio præsupponit prin-  
cipium agens, unde profecta læsio dici mereatur, ubi ita-  
que est principium agens, quod actu agit, ibi actio quoque  
sit, necesse est, quia agens actu sine actione nec est, nec in-  
telligi potest. Deinde ex parte Obsidentis, qui & internè  
agit, & externè. Internè, quatenus firmum animi propo-  
sิตum habet prætereuntem adversarium expectare, inva-  
dere & vulnerare, ita quidem, ut certâ quâdam ducatur o-  
pinione, eum hîc & non alibi præteritum esse. Hæc men-  
tis conclusio, utut conceptus præ se ferat mentales, quoad  
Objectum tamen nihilominus realis dici potest, ideo, quia  
ex certoconfata scibili de negotio reali & infallibiliter futu-  
ro, concepta est, & concurrit insimul cum voluntate pro-  
ximum suum lædendi, qui concursus quin actionem rea-  
lem

lēm internām pariat, dubitare non licet. Neqve negotiū mihi facescit, qvod Obsessio tum saltem potentia, minimē verō actio dicenda sit? Respondeo enim, potentiam esse duplēcēm aliam activam, aliā passivam, hanc, qvia ad nostrum non spectat rhombum, seqvestrabimus. Illa est in cujus virtute continetur effectus, Mendoza ad Arist. l. 5. c. 12. Metaph. Ergò dum ad producendum effectum, qvi in ejus virtute est, occupatur Obsessor, agit omnino, licet propositum suum exemplō non exeqvatur; Imò potentia activa & actio sibi invicem non opponuntur, cum hanc illa non excludat, sed inclusam semper omniqve tempore habeat. Externè agit Obsessor, qvando obsidendi propositum suum in prætereuntem exeqvitur, eumqve invadit aut vulnerat, tunc enim invasio s. vulneratio actu facta externā involvit actionem, qvia omnis lāsio seu offensio in sensus incurrens actionem parit externām, illa cum hīc sit, nec hæc exterminari poterit. Notandum insuper est, qvod non omnis actio dicatur externa, idèò, qvia à separato in separatum fit Subjectum, cum aliquis in semetipsum quidem externè agere possit, nec tamen separatus statim à semetipso dicetur; sic, qvi manus sibi infert violentas, aut vulnus infligit corpori suo, in se ipsum quidem agit, d. non agit internè, licet vitam perimat suam, eāqve privetur, hoc enim à seipsō tanqvam principio aliquo externo proficiuntur: verūm externè, qvia æqvè injuriam infert corpori suo, cuius Dominus ipse non est. L. 13. ff. ad L. Aquil.

### III.

Sed enim verō, qvemadmodum non qvælibet Obsessoris actio in judicium agitanda trahitur, sed ea demum, qvæ cum injuria alterius & dolo suscepta est, idèòqve addidimus in definitione vocabulum insidiosa. Enim verō dum obsidet quis viam animo offendendi, eo ipso insidias struit

struit alteri, ut viam suam tutius pertransire vi quādam prohibeatur. An autem obsessio viæ ad vim publicani, referri debeat, non in congruē disqviritur? Nos affirmamus per L. 5. ff. ad L. Jul. de vi public. Hæc Lex, licet restringi posse videatur ad crimen fractæ pacis publicæ, ubi coadunati homines obsident loca publica; nihilominus quia & hic coadunati homines esse possunt, ut infrà videbimus, qui in unum omnes conspirant, & si vim talem scil. cui resisti potest, fecerint, quō quis verberetur & pulsetur, vim publicam committunt L. 10. ff. eod. ideoque objectio illa nobis adeò curæ esse non debet; præprimis quod pax Civitatis publica eō maximè lædatur, cum Reipublicæ multūm interficit, ut viæ publicæ in Civitate tutæ sint ab omnibus insidiis.

IV.

Ut autem actio ista obsessio*n*s insidiosa secundum suam naturam & qualitatem, prout circumstantiæ suppeditunt, perpetretur, tria nobis tanquam necessaria requisita prælibanda obveniunt, (1) *animus obsidendi & offendendi*, (2) *Locus* (3) *Tempus*. Qvod attinet animum, ille necessariò hic attendi debet, utpote cui delicti qualitas & existentia meritò adjudicatur, cum è contrario crimen per se commissum dici neutiquam possit. Imò reqviritur quoque, ut animus sit dolosus & datâ operâ susceptus, quia eventus, in criminibus semper dolum præsupponit malum, L. 1. §. 2. ff. de dol. mal. & prætexendum non est, talem ex amore proximum suum offendisse & vulnerasse, cum id principio Juris naturalis directò contrariaretur, quod neminem lædendum esse dictitat §. 3. f. de f. & f. Neque casus hic observatur fortuitus, quippe qui in nullò iudicio à nomine præstari dicitur L. 23. in fin. ff. de R. f. & L. 6. C. de pignor. act. quique omne denotat id, quod humano captu prævideri non potest, aut cui præviso non potest resisti L.

18. ff.



18. ff. *Commad. L. 15. §. 2. ff. Locat. d. l. 6. C. de pignor. act.*  
multominus ubi fortè fortuitò obviam venit adversarius,  
& ità læditur, qvæ læsio licet extra poenam non sit, obsessio  
tamen dici non meretur. Sed reqviritur data opera, qvâ  
qvis ex proæresi & spontaneo motu locum civitatis obsi-  
det, ut prætereuntem eò melius offendere intendat, in hoc  
casu qvin animus inducat crimen, non est qvod dubitemus.  
Quid si eventus fuerit subsecutus, & tamen in dubium relin-  
qvatur, utrum dolus adfuerit, nec ne? pro dolo præsumen-  
dum esse, asserimus, *argumento L. i. & 5. C. ad L. Cornel.*  
*de Sicar. & L. 15. ff. de vi & vi armat.* qvia effectus testatur  
de sua causâ: Jam omnis offensio & injuria vi illata nun-  
qvam sine dolo facta creditur. Nec obstat, qvod Obses-  
sor anteà offensus, ex justo dolore expectet adversarium su-  
um, justus autem dolor fugit dolum, cum difficillimum sit  
eundem temperare *L. 38. §. 8. ff. ad L. Jul. de Adulter.* &  
*L. 3. §. 3 ff. ad Sct. Silan.* Resp. enim, facile posse concedi, si  
intervallum temporis non intercesserit, & ita nimio ira-  
cundiæ calore obtusus suam ultionem qvis effuderit, *L. 48.*  
*ff. de R. j.* qvod tūm obsidendi animus haut perperam in-  
telligatur absuisse, & conseqventer dolus malus, uti suo lo-  
co, ubi ad circumstantiam temporis excutiendam perve-  
nerimus, prolixius ostendetur. Sed verò de tali casu nobis  
impræsentiarum sermo non est, qvippe qvi consideramus  
obsessorem prout offenderit & vulneraverit adversarium,  
succedente temporis intervallo & ex proæresi, quo de non  
immeritò dolus malus præsumendus erit. Deinde ob-  
sessor in actu hīc non versatur licito, cum propria vindicta  
& ultio omni juri non tām exosa, qvam in totum prohibita  
sit: *Carpz. part. I. prax. Crimin. qv. 29. n. 71.* Sicut itaqve do-  
lum non committit, qvi suo utitur jure, *L. 55. ff. de R. j.*

B

ita

ita ē contrario dolum committere eum, qvi Jure suo non  
utitur, firmissimum in jure argumentum erit.

V.

Colligitur verò animus dolosus potissimum per  
conjecturas & præsumptiones, ex facti circumstantiis de-  
sumtas, qvia circumstantiæ facti animum cuiusqve, & an  
dolo malo quid factum sit, an secus, declarant. L. 16. ff. de  
pœn. L. 5. C. de instit. & substit. L. 78. ff. de Acq. hered. C. 16.  
& 18. X. de Homicid. Sed si deficiant præsumptiones &  
conjecturæ, an reus, ad præstandum juramentum, se scil.  
animum obsidendi & offendendi dolosum non habuisse,  
admitti, & sic à crimen liberari possit? Nos distingvimus:  
Aut vulneratio leviter fuerit facta, aut verò non; priori  
modo affirmamus per L. 30. §. 3. ff. de Jurejur. & L. 6. §. 4. ff.  
de his qvi not. infam. Posteriori autē modo negamus, per  
L. ult. C. de probat. Ratio est, qvia omnis occasio delin-  
qvendi & perjurii committendi amputanda est L. 27. §. 3.  
ff. de Pactis L. 5. ff. de pact. dotal. C. qvi exigit. 22. qv. 2. At  
hoc casu subest metus perjurii. Vid. Dan. Mollerus ad Const.  
Saxon. 42. part. 4. qvi licet inibi de juramento saltem ab  
injuriante præstando disputet, nihilominus, qvia huic deli-  
cto non tām injuria, qvām gravis insuper vulneratio subest,  
haut perperam huc trahi poterit.

VI.

Alterum requisitum excipit locus, qvi publicus esse debet  
L. 1. §. 21. ff. Ne qvid in loc. publ. Nam per suum seu privatum  
locum quo minus alter frequentissimè eat, prohiberi po-  
test, ne prædio inde servitus invito Domino enascatur,  
qvæ res maximè onerosa est. L. 15. §. 1. ff. de servitut. No-  
tanda tamen hic distinctio occurrit inter locum publicum  
absolutè, & inter locum Civitatis publicum, ille est: qyan-  
do ab omnibus per aliquem locum publicè commeatur, &

com-



communis publicusque ejus est usus, neque solum & proprietas privatorum autoritati assignatur. Hic vero dicitur, per quem omnibus ac singulis commeare licet, cujusque usus publicus atque communis est, tametsi solum & proprietas sit penes privatos in Civitate cohabitantes. Et licet utriusque usus publicus sit, nihilominus prohibentur non nulli a communi usu, quales sunt, hostes & alii, eorum transitu incommodum vel periculum aliquod sit metuendum. De quibus vid. Rosentb. c. 5. conc. 21. n. 2. Hic autem queritur: Quid si quis in suis aedibus prætereuntem data operâ expectet, eumque vulneret; anne & tum crimen Obsessionis commissum dici possit? Affirm: fiscil. cum impetu in prætereuntem profilierit. Nam locus non tam aestimatur publicus ex parte obsidentis, quam obsessi seu prætereuntis, qui vi prohibetur ab alio, quo minus tutius loca pertransire publica queat: parum igitur refert, utrum Obsessor hic ex propriis seu privatis aedibus struxerit insidias, nec ne sufficit enim, quod animo offendendi doloso in eundem eruperit, & publicam viam citra juris & aequitatis normam præcluserit. d. l. i. §. 25. ff. eod. Secus vero si adversarius obsidentis domum sciens & studio petierit, tum, licet laesio & offensio fuerit subsecuta, obsessio tamen suum robur habere nequit; ratio, quia ex parte obsidentis animus obsidendi dolosus defuit, cum prætereunti id potius imputandum, quod suâ quasi voluntate istud periculum sibi met accersiverit. Quanquam actus hic omni exceptus poenâ esse non debeat. L. unic. §. ult. ff. de via publ. & si quid in ea fact. dic. Porro locus debet esse liber & non ad insidias struendas solitus; Aliás cum potuisse se se cavere adversarius, metuens & conjecturans ultiō, si locum illum spontaneo motu prætergressus non fuisset, & tamen fecerit, extra omnem culpam non erit. verò

verò, qvemadmodum culpā non caret is; qvi prohibere potest delictum, nec tamen prohibet, argumento à contrario ex L. 50. ff. de R. J. desumto, multò minus is culpā carebit, qvi summo studio se periculo subdit, & ita ansam delinqvendi adversario præbet, qvod tamen ipse proprio motu avertere potuisset rectius. Nam ut *Seneca* ait: *in Troade*: *Qui non vitat peccare, cam possit, jubet.* Et Pontifex in C. 47. X. de sentent. Excommunic. dicit: *Eos delinqventibus favere interpretamur, qui cum possint, manifesto facinori occurrere desinunt.* Proinde liber esse debet, ita ut unicuique circum circa deambulare liceat, nec ullus privatorum potestatem sibi arroget, eum præcludendi; *Qui igitur prætereuntem invadit, & vulnerat, is utiq; prohibet & vi qvadam præcludere satagit locum, qvem alter absq; periculi metu pertransire & libertate suā uti debuisset, & conseqventer haut injuriā criminis viæ obsessionis reus fieri poterit.*

## VII.

Tertium reqvisitum absolvit tempus, cui magnam vim & efficaciam attribuimus, ut criminis natura qvandoq; immutetur, nisi temporis ratio pro qualitate delicti habita fuerit. Etenim natura omnibus & singulis hominibus etiam brutis animantibus. L. 1. §. 11. ff. si quadr. pauper. fec. dic. primo qvafsi lacte indidit, ut lædi se ægrè patiantur, qvin potius periculo obstanti & imminentि subitò occurrant, seq; pro viribus defendant. Nam ut Cic. l. i. Offic. ait: *Principio generi animantium est omnia natura tributum, ut se, vitam corpusq; tueatur, declinetq; ea, quæ ei nocitura videntur;* id qvod de defensione in specie ita dicta intelligendum censemus. Qvod verò attinet propulsionem injuriæ, qvæ cum Juris Gentium sit, L. 3. ff. de J. & J. soli adjudicatur homini. Perbellè enim *Ciceropro Milone* afferit:

Eft

Est haec non scripta, sed nata Lex, quam non didicimus, accepimus, legimus, verum ex natura ipsa arripimus, hanc sumus, expressimus: ad quam non docti, sed facti, non instituti, sed imbuti sumus, ut si vita nostra in alias insidias, si in vim, in tela aut latronum aut inimicorum incidisset, omnis honesta ratio esset expedienda salutis. Hoc & ratio doctis, & feris natura ipsa prescrivit, ut omnem semper vim, quamcumque ope possent, a corpore, a vita suâ propulsarent. haec ille. Hinc defensor propriæ salutis etiam cum cæde offendentis in nullo peccasse videtur. L. 3. C. ad L. Cornel. de Sicar. quia vim vi defendere omnes Leges, omniaque jura permittunt. L. 45. §. 4. ff. ad L. Agril. modò id in continenti, & observatis iustis causis & mediis fiat, de quibus vid. Carpz. Prax. Crimin. p. 1. q. 28. Qui itaque prædicto modo suam gerit defensionem, & incontinenti, durante adhuc offensione, injuriam propulsat, criminis hujus viae scil. obsessionis, incusari non poterit: Ratio, quia iracundia calore motus, liberam mentis suæ dispositionem, quam tamen in præsenti delicto maximè opus est, habere non potuit, cum ira furor brevis sit, inimica confilio & contraria rationi, ut ab Ennio haut perperam initium insanie appellitetur. Imò quicquid iratus agit, vel loquitur, tanquam ab insano profectum impunè aestimari debet, C. si quis iratus 2. qv. 3. Id tamen intellectum velimus, si vulneratio leviter contigerit, si vero gravis facta, ut mors immediate ex ea fuerit subsecuta, aliter statuendum erit L. 7. §. ult. ff. ad L. Jul. Repetund. & L. 11. §. 1. ff. de pæn. Vid. Carpz. Prax. Crim. part. 1. qv. 6. Sectis vero, qui elapsò aliquo temporis spatio deliberat secum de loco oportuno, quem adversarium infallibiliter præteritrum opinatur, ut inibi propositum suum dolosè exequatur, de eo dici non potest, quod incontinenti sese defenderit, vel quod justo iracundia calore duetus injuriam sibi illa-

tam propulsaverit, qvia temporis intercapedo sufficien  
dicitur ad compescendam iram, qvæ momentosa esse des  
bet, nam si Ratio intercesserit, suboritur inde vindicta seu  
ultio propria, qvæ omni jure explosa est. Grotius *de J. B.* &  
*P. l. 2. C. 20.* Et conseqventer jure se à crimine excusare non  
poterit. An. autem interdiu, an verò noctu fiat obsessio,  
parum refert; qvia qualitas hæc criminis naturam non tan  
git, illudq; nec atrocius neq; levius reddere potest. Suffi  
ciunt ergò reqvisita necessaria, qvæ delictum ostendunt  
commisum, non nox, non dies.

### V III.

Consideratis hisce, qvæ ad naturam viæ Obses  
sionis patrandæ faciunt maximè, necesse est, ut ad diffe  
rentiam progrediamur specificam, qvam Causæ, qvarum  
ratio hic habeatur pensi, absolvunt. Causa itaq; efficiens  
proxima hujus delicti est homo, nam cum ipse solus agat  
ratione, solus qvoq; subjectum censembitur capax ad obses  
sionis crimen committendum. Non verò omnes in id in  
cidere possunt; eximuntur enim nonnulli (1) ob defectum  
ætatis, ut sunt infantes vel infantiae proximi, qui ex delicto  
prorsus non obligantur, *L. i. C. de fals. monet. L. 12. ff. ad L.*  
*Cornel. de Sicar.* Ratio redditur hæc, qvia delictum absque  
dolo nec committitur, nec punitur, ubi itaq; dolus non est,  
ibi nec delicti poena locum habere potest. *L. i. C. ad L. Corn.*  
*de Sic. L. 53. ff. defurt.* Andr. Tiraqvel. *depæn. temp. Caus. 14.*  
*n. 1.* Jam verò infantes doli capaces non sunt, qvia qvic  
qvad agunt, ignorant. *L. 5. §. 2. ff. ad L. Aquil. d. L. 12. ff. ad*  
*L. Corn. de Sicar. L. 73. ff. defurt.* & infantiae proximi nul  
lum intellectum habent §. 9. *J. de inutil. stipul.* ut proinde o  
mni cōercitione judiciali & legali exempti dicantur, nisi  
qvod qvandoq; in carcere pro ratione delicti virgis sint  
castigandi. *D. Carpz. prax. crim. part. 3. qv. 43. n. 9. usq; ad*

20.



20. Quid si dolci capaces & pubertati proximi putentur ; autum ex delicto teneri atque puniri possint ? Ratio dubit. qvia dolosum eorum esse potest judicium : Resp. Licet im-  
puberum judicium sit dolosum , & propterea ex deli-  
cto obligari possint, nihilominus tamen, qvia infirmius est  
eorum judicium , propter aetatem mitiori poena affici de-  
beant. argumento. L. 108. ff. de R. J. Non enim in pueris  
delicta ita rigidè sunt punienda , sicut in majoribus C. I. X. de  
delict. paenorum qvanquam iis pro atrocitate delicti poena  
corporis & afflictiva & extinctiva addici posse, prolixius o-  
stendat Dn. Carpz. d. l n. 21. & 48. interim verò licet miti-  
gatio poena de jure communietiam extendatur ad mino-  
res 25. annis L. 37. §. 1. ff. de minorib. Exemplum habemus  
in L. 38. §. 4. ad L. Jul. de Adulter. ubi crimen incestus ra-  
tione aetatis minoribus 25. annis remittitur , add. L. 10. ff. de  
question. Verum qvia res admodum periculosa est , arbi-  
trio judicis attentia personæ causâ & qualitate id non im-  
merito relinquitur. (2) ob defectum animi , uti sunt fu-  
riosi & mente capti, qui mortuis comparantur , qvia &  
intellectu carent & voluntate , qvæ tamen in maleficiis regu-  
lariter reqviritur , sup. cit. L. 14. ff. aa L. Corn. de Sic. Idq; exte-  
ditur eò, ut sive in furore , sive antefurorem aliquè lethaliter  
offenderint , minimè tamen in eos animadvertere lice-  
bit criminaliter , qvia priori casu fati infelicitas excusat.  
argumento L. 17. ff. ad L. Corn. de Sic. posteriori a. casu furore  
ipso satis puniuntur. L. 14. ff. de offic. presid. c. 5. X. de Cler. agrot.  
nisi dilucida habuerint intervalla. Cum prodigis verò res a-  
litter comparata est, hi, licet in contractibus naturaliter a-  
liis non obligentur, & dissipando bona furiosis æqviparen-  
tur. L. 6. ff. de V. O. L. 40. ff. de R. J. L. 70. ff. de fidejussor.  
nihilominus tamen criminis via obsessionis rei fieri o-  
mnino possunt, Ratio, qvia animo obsidendi doloso , nec

non



non offendendi voluntate penitus non destituuntur, ut nihil occurrat, qvod facultates animæ vel obscurare vel impedire ad minimum queat.

I X.

De inebriato gravis suboritur qvæstio; utrum scil. ille Criminis hujus particeps fieri, & ità pœnâ ordinariâ puniri possit? Distinguunt Dd. communiter inter ebrietatem modicam & immodicam seu enormem, non ob illam, sed ob hanc mitigari pœnam posse indubitatò asserunt. Vid. *Dn. Carpz. Prax. crim. part. 3. qv. 146. n. 32.* Quid hæc assertio vera sit de pœna corporis extinctivâ dubium nullum erit. Sed an idem dicendum de pœna corporis afflictivâ, qvæ hic occurrit, uberiorem merebitur disquisitionem. Contingit enim ut plurimum, ut inter pocula oriatur rixæ, qvibus injuriâ alter affectus ad ulciscendum se locum Civitatis publicum obsidet, ibiq; adversarium suum præstolatur, talis si executus fuerit propositum suum, & alterum graviter vulneraverit, tametsi alleget ebrietatem immodicam, à pœnâ tamen ordinariâ eximendus non erit, qvia qui facit id, qvod rationis est, ratione penitus destitutus dici nequit. Si enim alienationem mentis induisset ebrietas, non potuisset facere id, qvod esset rationis, can. 5. dist. 35. Jam verò obsessor ebrius, dum obsidet viam publicam ad injuriam sibi illatam vindicandam, animum reflectit ad tempora priora, qvibus se injuriâ affectum fuisse recordatur, facit id, qvod est rationis. E. ratione penitus destitutus dici nequit. Quidam ebrietas immodica in hoc crimen pretendi penitus non poterit, qui enim ita bene potus, ut neque manus neq; pes suum facere officium queat, is civitatis non obsidebit loca; ut proinde hic delictum non tam ex ebrietate, quam ebrietas ex delicto conferenda atque examinanda veniat; Quamobrem nos haut per-

perperam id judici dijudicandum relinqvimus. Interim  
v. si injuriatus primū succedente temporis spatioinjuri-  
antem eodem loco graviter vulneret, quando allegat immo-  
dicā ebrietatem, audiendus quidem est, sed tenetur eam pro-  
bare per testes, qui tūm temporis adfuerint, qui si defece-  
rint, juramento ebrii standum erit, quia animus per jusju-  
randum, veluti per spiritualem torturam, demonstratur.  
Barthol. in L. 20. pr. ff. de acq. vel amitt. hæred.

X.

Porrò mutus & surdus utroq; simul vitio laborans na-  
turā, quia nec intellectum habet nec sensum, & propterea  
infanti æqviparatur & furioso L. 65. §. 3. in fin. ff. ad Sct.  
Trebell. & L. 2. ff. de Curat. furios. ex delicto præsenti regu-  
lariter non obligabitur. L. 1. C. ad L. Corn. de Sicar. Cate-  
roq; si ex casu supervenienti quis mutus & surdus factus  
fuerit, tum si sanæ mentis est, & vel per literas, vel per Te-  
stes id ipsum judici constare poterit, excusationem non me-  
rebitur; ubi enim animus est delinqvendi, ibi dolus deesse  
nequit, hic ubi comparet, ibi delictum plenā voluntate  
commisum & dici, & poena ordinaria locum habere po-  
test. Idem dicendum de eo, qui alterutro saltem vitio la-  
borat, ut vel mutus, vel surdus sit, cum & huic regulariter  
non deficiat intellectus, eum ex delicto obligari & poenā  
ordinariā teneri posse, dubitare non licet: Notum enim  
est, quod ejusmodi homines vitio quodam naturali labo-  
rantes ad suspicionem & iram admodum proclives sint, ut  
persæpè affectos se injuriā opinentur, ubi tamen injuria  
ipsis reverà illata non fuit. Imò si facta fuerit injuria, eam  
tamen cum intellexerit mutus vel surdus, eumq; in finem  
locum obsederit Civitatis publicum, ut ad ulciscendum se  
injuriantem inibi expectet & vulneret, multò magis in cri-  
men hoc incidet obsessionis, ideo, quod eo ipso animum

C suum

sum delinqvendi dolosum sufficienter prodat, atq; talem directò facere delictum, suprà satis ostensum fuit. Huic annumeramus Cœcum, idèò , qvia Cœcus non habet, qvod adsui excusationem prætendere & ità à pœnâ ordinaria liberare se posset : Enim verò privatio visus tantæ non est efficacia, ut intellectui per se qvicqvam detrahere vel obfuscare s. penitus destruere possit. Manet intellectus salvus & voluntas integra, tametsi sensus ille externus vel naturâ, vel casu qvòdam superveniente interruimpatur. Idcircò qvia intellectus & sensus communis ipsi non deficit, qvis eum à crimine viæ obsessionis tutum , nec pœnam mereri dixerit, nisi varietas circumstantiarum diversum svassis reperiatur ?

XI.

Exceptis itaq; excipiendis regulariter qvilibet homo perfectam habens mentis suæ dispositionem , viæ obsessionis crimen perpetrare potest. An autem una saltem persona, an verò plures coadunatæ delicti hujus fontes fieri possint disqviritur? Nos affirm. ex hâc potissimum ratione, qvia animus obsidendi & offendendi unâ cum circumstantiis, qvæ delictum insimul commissum ostendunt, spectari debet. Jam verò licet centum sint, qui obsederint locum civitatis publicum, si constiterit liqvidò de eorum animo & voluntate delinqvendi, omnes omnino in id incidere possunt, puta, directò, si singuli prætereuntem invaserint & vulneraverint. Et qvamvis hæc coadunatio latronum & prædonum proprium esse videatur , nihilominus, qvia hic animus delinqvendi discriminatus intercedit, ut in proœmio dictum, non est, qvod ulterius nos excruciemus; ut ut non diffitemur, pro specie fractæ pacis publicæ obsessionem viæ habendam, si ex causâ deprædationis vel dissipationis fiat Constit. Elect. XIII. P. 4. Berlich. p. 4. Concl.

26. n.



26. n. 7. Illud qværitur: An in ejusmodi casu singuli teneantur in solidum? Dist. Aut delinquentes omnes ac singuli manus imposuerint in prætereuntem, aut verò non. Priori modo, qvia pœna hodiè non arbitraria est, sed à Majestate jam præfinita, *Conſt. Elect. 13. part. 4.* singulos in solidum teneri affirmo; Ratio, qvia dum vulneratur præteriens, inter alia dama etiam injuriam patitur maximè, jam verò tot sunt injuriæ, qvot sunt personæ injuriam facientes *L. 34. ff. de Injur.* Secus verò, si contrarium potuerit evinci, qvod non omnes verberaverint, interim verò qvia consilio isti malitioso interfuerint, pœnâ arbitrariâ pro ratione circumstantiarum à Magistratu puniri possunt. Magistratus enim est, ictus uniuscujusq; probè contemplari, argumento *l. ult. ff. ad L. Corn. de Sic.*

XII.

Causa impulsiva, qvæ impellit hominem ad crimen hoc grande committendum, est Dolor & cupiditas se ulciscendi. Semper enim hic præsupponitur adversarius, à quo offensio anteà facta intelligatur; cum è contrario si citra hanc causam unumq; prætereuntem qvis aggredieretur, non obſessor, sed prædo fortè dicendus foret, ac proindè viæ non obſessio, sed crimen fractæ pacis publicæ committeretur. *V. Gail. de Pace Publ. l. 1. c. VIII.* Et licet aliás is qvi justo dolore commotus delinqvit, mitius puniri soleat. *L. 38. §. 8. ff. ad L. Jul. de Adulter.* *L. 1. §. finff ad L. Corn. de Sicar.* attamen qvia *Conſtit. Elect. 13. part. 4.* nihil excipit, utrum dolore qvis commotus alterum obſederit, nec ne, verum ex eventu, prout vulneratio vel levis vel gravis contigerit, pœna inibi statuta atq; determinata est, nos illud judici probè examinandum remittimus. An autem dolor iste justam arguat cauſam, dubitatur, qvia non incontinenti rependitur; Et qvamvis per ſe dolor justus existime-

tur, cum injustè facta offendio, alteri justum semper pariat dolorem, per accidens tamen fieri potest injustus, ob propriam vindictam & ultionem, qvam doloris causa suscipit. Deinde qvod cupiditas ulciscendi impellat hominem ad delictum obsessionis dolosè committendum vel maximè ex eo patescat, qvod dolorem ob injuriam, qvam passus, nec perferre nec compescere studeat. Et licet injurias sibi illatas in continentis propulsare Jure Naturæ & Gentium prohibitum non sit, ut suprà deductum, verùm cum hic modus enormiter exceditur & reqvisita legitimè non observantur, propulsatio illa à nobis approbata censi neutiqvam poterit. Qvinimò omnium actionum basis & fundamentum esse debet dilectio proximi, qvà attentâ, & Respublica benè constituta est, & Civium inter se actiones Legibus Civilibus & Divinis conformes redduntur. Cum è contrario Zelus odium pariat indeleibile, à qvô tanq; ex malitiæ fonte promanant lœsio & vindicta s. ultio, qvibus varia delicta atq; crima pro varietate delinqventium inducuntur: præprimis autem ad obsessionem viæ patrandam necesse est, ut ultione qvis impellatur, si enim alia subfuerit causa, fortè spes prædæ &c: qvà adductus istud crimen subierit, non præsens hoc, d. aliud aliquod delictum, atrocius qvidem commissum dicetur & pœnâ subinde graviori atq; duriori in delinqventem animadvertere licebit. l.l. §. hoc interd.D. de vi & vil. 3. cum seq. D. ad L. Jul. de vi publ.

### XIII.

Media, qvibus ad ulciscendum se utitur Obsessor, sunt instrumenta, ad offendendum alioquin apta nata vel redditia. Qui n. obsidendo in præterea untem adversarium stringit ensem, eumq; vulnerat, nisi animo occidendi id fecerit, vis inde armata propriè commissa dici nequit. Et licet gla-

gladius inter arma potissimum referatur , l. g. *D. de vobis  
publ.* modus tñ. utendi eodem rem ipsam variare videtur.  
Nam non consideramus instrumenta, prout ad occidendū  
apta nata sint, ut inde animum vel occidendi vel non indica-  
gare oporteat; nulla enim consequentia est, gladio qvis ad-  
versarium aggressus est, E. animum habuit occidendi seu  
vim armatam inferendi, qvin potius vulnerandi saltim a-  
nimus subfuisse intelligatur; Sicuti id ex præparatione ad-  
hibitis circumstantiis & vulneribus inde subsecutis ostendere  
haud nefas erit. *V. Petr. Theodor. Collegio Crim.*  
*Disp. 7. tb. 1. l. g.* sufficit itaq; offendio qvalis qvalis qvocunq;  
etiam in instrumento collata citra vim tamen armatam,  
qvippè qvæ ut plurimum cum animo occidendi doloso  
conuncta in criminis fractæ pacis publicæ se se exerere so-  
let, juxta tradita *Dn. Carpz. Jurisprud. forens. p. 4. Const. 13.  
defin. 3.* Qvinimò vis publica, qvæ armis infertur §. 4. *J. de  
publ. judic.* fieri communiter solet, à personā publica in  
personam publicam. *L. 7. ff. ad L. Jul. de vi publ.* ut inde jus  
publicum lædatur. *L. 3. §. 4. ff. eod.* Ast in casu nostro præsentí  
privatæ saltem extant personæ, qvas inter obsessio com-  
mittatur, & jus eò Civitatis maximè violetur. Nihilomi-  
nis dictis modo graviter obstat *L. 1. §. 3. ff. ad L. Cornel. de  
Sicar.* ubi expressè dicitur; eum, qvi gladium strixerit &  
percusserit indubitatè occidendi animo id admisisse. Sed  
Resp. Ibi non indistinctè agi de animo occidendi, verum  
ponderatis prius circumstantiis, qvæ intercedere variatim  
solent, animus demum interficiendi colligendus veniet.  
*L. 16. §. 1. ff. de Pœn.* Deindè posito, rem ita se habere posse,  
interim verò ego adeò rigidè non defendam, animum  
qvoq; occidendi in hoc criminis qvandoq; subesse non  
posse, dum modò non judici de eò jam tum constet liqui-  
dò, vel constare ad minimū possit. Regulariter enim

condemnatur Obsessor, prout vulnera se se contigere, sive itaq; gladio facta, sive fustibus intentata sint vulnera, parum refert, sufficit, qvod animo obsidendi tantum & offendendi id ipsum ex pediverit. *Const. Elect. 13. p. 4.*

XIV.

Hic non incongruè inseritur Qvæstio : Utrum liceat aggressorem seu obsessorem interficere ? Ratio dubitandi hæc esse potest, qvia videtur moderamen inculpatæ tutelæ optimo jure hīc prætendi posse. Jam autem defensio ita suscepta etiam cuam cæde alterius jure Gentium & Civilis permitta est, *L. 3. ff. de J. & J. Vid. Schnob. disput. pandect. I. Tb. 9.* Distinguere qvidam solent: Aut Obsessor ante obsessionem à prætereunte adversario fuerit læsus & injuriatus reverà, aut verò putativè: reverà is dicitur læsus, qvi verberibus exceptus vel alio modo injuriam passus fuit: Putativè autem, qvando aliquis putat & opinatur, se injuriā affecatum fuisse, cum tamen reverà injuriatus non fuerit. Priori modo simpliciter negant qvæstionem, ideò, qvia subest offensionis causa, qvæ profluxit & promanavit ab ipso prætereunte. Jam verò in culpa sit, qvi causam dat & præbet, qvam obrem jure se tueri non poterit. Posteriori autē modo iterum distinguunt; aut præteriens sciverit qvicqvam de obsessionis actu, aut verò penitus ignoraverit. Si sciverit, tunc ne hīc qvidem casu à poenâ homicidii legitimâ immunis; qvia culpa non caret qvi scit, & prohibere potuit, nec tamen prohibuit, *ut Thes. supr. VI. plenius ostensum fuit.* Si verò penitus ignoraverit, tūm qvia nullam obsessori injuriam reverà intulisse constat, ob moderamē inculpatæ tutelæ defendere se poterit. *L. 45. §. 4. ff. ad L. Aquil.* Sed & id periculosum maximè existimarem, tūm qvia animum occidendi ab Obsessore regulariter excludimus, tūm, qvia propulsatio offensioni nō proportionata appareret. *Carpz.*

*Prax.*



*Prax. Crim. part. 1. qv. 28.* Nec dicam nobis scribere videtur. Tot. Tit. C. qvando liceat unicuiq; sine judice se vindicare. Verba Rescripti hæc sunt: *Liberam resistendi cunctis tribuimus facultatem, ut qvicunq; militum vel privatorum ad agros nocturnus populator intraverit, aut itinera frequenta insidiis aggressionis obsederit, permissa cuicunq; licentia digno illico suppicio subjugetur, ac mortem, qvam minabatur, excipiat, & id, qvod intendebat, incurrat.* Melius enim est, occurrere in tempore, qvam post exitum vindicare. *Vestrum igitur Vobis permittimus ultionem, & qvod serum est punire iudicio, subjugamus Edicto, ut nullus parcat militi, cui obviare telo oporteat ut latroni.* Qvis non viderit Rescriptum tantummodo loqui de Latronibus & Obsessoribus itinerum, non verò viarum, qvam distinctionem nos probè hic observatam volumus, præcipue ob L. 4. C. ad L. Corn. de Sic. & L. 4. §. I. L. 5. pr. ff. ad L. Aquil. licet qvandoq; hæ duæ species promiscuè usurpari soleant. Perez. in Comment. Cod. ad hunc tit. n. 3. Carpz. Jurispr. for. p. 4. Const. 13. Jam autem latrones & prædones, qvia semper animum occidendi præ se ferunt, impunè statim occidere licet, ob adductam rationem, qvod melius sit occurrere in tempore qvam post exitum vindicare. Ast de obseclore viæ qvat. scil. obsessor est, id ipsum dici non potest, qvia animus occidendi regulariter ab eodem excluditur, cum è contrario non obsessor, d. homicida dicendus foret, ac proindè totius delicti natura, cuius primariam notulam in animo ponimus, immutaretur.

## XV.

Qvamobrem licet defensio, etiam contra eos, qvi nobis sanguine juncti sunt, sit Juris naturalis; cum omnis defensio ejusdem Juris sit, habito respectu ad circumstan- tias, qvarum intuitu defensio demùm vel justa, vel injusta decla-

declarari potest, non autem ad personas, sufficit enim quod  
vis & injuria inferatur ab aliquo, utrum vero inferens in-  
juriam sanguine sit junctus nec ne parum refert, quia de-  
fensio non ob personam directe, sed ob vim & violentiam  
suscipitur, non tamen filius contra patrem tyrannicè i-  
psum invadentem sese istius nece tueri potest; tum ob ho-  
norem & reverentiam, quam parenti suo licet duriori vel  
Tyranno debet, quia ita adstrictus filius, ut, licet possit sese  
defendere, attamen si in necem parentis id vergat, defen-  
sio subsistere nec potest nec debet argumento L. 2. ff. ad L.  
*Corn. de Sicar.* Exemplum habemus in Davide, qui Sauli  
socero suo vim contra eum intentanti, resistere noluit. 1. Sam.  
19. v. 10. tum quoque ob Nov. 12. C. 2. ubi catholica & adæqua-  
ta redditur ratio in jure morali maximè fundata, quod li-  
cet pater legum contemptor & impius sit, tamen pro patre  
habendus. Non igitur obstat L. 35. ff. de religios. & sumpt.  
*fun.* quippe quæ agit non de Patre Tyranno, sed proditore  
patriæ, qui & ad patriam & liberos delendos venerat, talis  
enim incidit in crimen læse Majestatis. L. pen. ff. ad L. Jul.  
*Maj.* Et in tali casu patria parentibus est præferenda. ar-  
gumento L. 3. C. de principib. L. 101. ff. de Leg. 3. Idem quoque;  
dicendum de Principe seu Magistratu summo, cuius Maje-  
stas, quia à DEO est, inviolabilis æstimari, proindeque à sub-  
ditis tolli neutiquam debet. Idcirco licet Princeps subdi-  
tum tyrannicè invaserit, subditus tamen, justâ se defensio-  
ne tueri non poterit, si enim Principem occideret, res  
maximè periculosa est, & in tantum abominanda, in quantum  
subditus & vitam, & Conscientiam, ac denique animam ipsam salvam habere velit. Vid Frider. Balduin. de  
*Casib. Conscient. Lib. 4. c. 1. Cas. 14.* Ea, quæ jam jam dicta  
sunt, optimo jure possunt referri ad Præceptores & Mari-  
cum, ita, ut licet illorum nimia sævitia culpæ assignetur,  
L. 6. ff.

*L. 6. ff. ad L. Aquil.* hujus verò facilè sàvientis calor & impetus refrænandus. *L. 22.. §. fin. ff. ad L. Jul. de adulter.* minimè tamen gentium à discipulis & uxore perimi possunt: *L. 9. C. ad L. Corn. de Sicar.* à qvo & amor naturalis, qvi paternus, & maritalis affectus, qvi tranquillus & absq; conjugii maculà esse debet, immane quantum adhorrent. Nisi invasionis modus enormiter fuerit excessus, ut de animo occidendi liqvidò & aperte constet, tunc enim qvia periculum vitæ imminens & inevitabile diversum fraudere videtur, discipuli Præceptoribus & uxor marito tanquam hostibus & insidiatoribus, etiam interficiendo, resistere possunt. ob generalitatem textuum in *L. 45. §. 4. ff. ad L. Aquil. L. 3. C. ad L. Corn. de Sicar.* C. nullus de R. J. in 6to.

## XVI.

Materia circa qvam occupatur Obsessor, est præteriens adversarius, quem animo offendendi seu vulnerandi invadit. Necesse autem est (1) ut præteriens ex mente obsidentis sit adversarius, qvia obsessionis actus respectum involvit ad præcedentem offensionem, qvâ compulsus obsessor tale crimen commiserit, de ignotô n. & planè incognitô nulla obsessio institui potest. Interim v. non negamus, qvod non etiam in non adversarium tale delictum patrari possit. e. g. quando frater seu tertius aliquis fratris seu amici sui injuriam ulturus est, & eum in finem obsidet civitatis locum, prætereuntemq; graviter vulnerat, ibi dubitandum non est, qvin tertius ille obsessionis crimen commiserit, licet ipse anteà offensus non fuerit. Quinimò pœna hic ordinaria eō magis locum habebit, qvia sese immiscuit rei ad se non pertinenti, qvod tamen temerè & sine justâ caussâ facere non debuisset. *L. 36. ff. de R. J.* Hinc ut plurimum de nocte fieri consuevit præsens

D

deli-

delictum, ubi compotatores, rixā inter ipsos exortā, domum se conferunt. Daniel Moller. Const. 13. part. 4. n. 2. (2.) ut sit debilis, i. e. ut absq; ullō aliquō instrumentō, qvō verbera vel plagas excipere & ita se se tueri potuisset, incedat; ut animus resistendi deliberatus seponatur, neve præsumendum sit, prætereuntem obfessori ansam & occasionem graviter delinqvendi, præbuisse. Ne dicam, qvod qvando satis robustus adversarius, ut armis superet obfessorem, si se non defendat, corpusq; suum tueatur, cum tamen posset, non minus peccet in charitatis præcepta, ac si sibi ipsi vim intulisset. Dd. in L. 1.C. quand. lic. unic. Sin. jud. se vindic.

## XVII.

Effectus, qvi à Causâ Efficiente egreditur, est Offensio seu vulneratio, qvæ non à priori, ex mente scil. ipsius obfidentis, qvippe qvi animum graviter & enormiter vulnerandi se habuisse, semper negaret; verum à posteriori ex factō ipsō æstimari debet, adeòq; probè ponderandum, qvalibus instrumentis in tali negotio Obfessor usus fuerit, L. 1. §. 3. ff. ad L. Corn. de Sic. Requiritur autem (1) ut prætriens vulneratus acquiescat, nec ulterius qvicqvam molitur contra Obfessorem, eð enim casu invalus qvoad damnum sibi illatum vix qvicqvam sperandum habebit, qvin metuendum potius, ne deterioris eð fieret conditionis. Interim tamen manet Magistratui salva & integra puniendo potestas, qvā nihilominus in delinquentes ejusmodi habitu circumstantiarū respectu animadvertere potest. (2) Ut delicti gravitas immediatè ex vulneribus fluat. Nam si morbus accedat, quo sèpius ante fortè correptus fuerat vulneratus, vel si alio modo vulnera neglecta fuerint, aut si ex accidenti s. improviso casu vulnera crudescant, obfessori seu vulneranti id imputari non debet, si mors inde subseqvat-

tur.



tur, ut proinde in tali casu de morte ipsius vulnerati ob-  
sessor teneri nequeat. *L. II. §. 3. ff. ad L. Aqvil. L. I. C. ad L.*  
*Corn. de Sicar.* Qvanquam nobis obstare videatur *L. 51. ff. ad*  
*L. Aqvil. ubi in fin. princ.* talis proponitur casus, si quis ali-  
quem non confessim vitâ privarit, itâ tamen vulnerarit, ut  
eò ictu, certum esset, illum moritum, eundemque alias  
ex intervallo occiderit, utrumq; eorū pœnæ homicidii or-  
dinariæ subjugandū esse. Sed Resp. quod d. L. loqvatur, de eò  
casu, ubi vulnus simpliciter fuerit lethale, ut inde mors cer-  
tò certius fuisset insecura, nam licet posterior non occidi-  
set, vulneratum tamen ex priori vulnere indubitatò de-  
cedere oportuisset, E. mirum non est, utrumq; teneri.  
*Vid. Zoes. in Comment. ad Tit. ff. de L. Aqvil. n. 22.* Huic non  
incongruè annexitur quæstio: An is, qui hominem libe-  
rum vulneravit, ex L. Aqvili posse conveniri? Dist. Dd.  
interactionem directam & utilem; quoad hanc, ratione  
scil. ejus, quod abest, idq; non ad æstimationem hominis,  
sed in pœnam, concedunt, per *L. 5. §. ult. L. 7. pr. L. 13. ff.*  
*ad L. Aqvil.* quoad illam verò negant. Rationem addit  
*Corvin. in aphorism. ad Tit. ff. ad L. Aqvil. p. 172.* quia scil. li-  
ber homo non est Dominus rei lœsa, debet enim inter do-  
minum & eam rem, quæ in alicujus dominio est, realis esse  
distinctio. cit. *L. 13. ff. ad L. Aqvil.* sed si inspicimus §.  
9. & 10. *J. de Injur.* ibi dicit Imperator, quod is, qui homi-  
nem liberum vulnerarit, injuriarum teneatur. Resp. licet  
itâ sit, tamen id non impedit, quominus & utiliter quoque  
ex L. Aqvili teneri possit. v. *L. 13. D. ad L. Aqvil.*

### XVIII.

Tandem de pœnâ viæ obsessionis ordinariâ Jure Sa-  
xonico ita constitutâ, ut agamus, necesse est, quæ non im-  
meritò ex qualitate vulnerum deducitur. Nam si insidiosi  
occultatores prætereuntem leviter vulneraverint, vel pro-

pulsaverint, carcere puniantur, vel ad tempus relegentur,  
si v. gravis sit vulneratio, manus ipsis amputetur, vel virgis  
caesi in perpetum exilium mittantur, verba sunt *Const. E-  
lect. 13. part. 4. germ. ita sonant*: So ordnen und schen  
wir/do die Verwundung und Beschädigung geringe/  
mit Gefängnis / oder mit zeitlicher Verweisung ge-  
strafft; wann aber die Verwundung oder der Schade  
groß/mit abhauting der Hand / oder Staupenschla-  
gen/des Landes ewig verwiesen werden sollen. Et se-  
cundum hanc Constitutionem totā die pronunciari docet  
*Dn. Carpz. prax. Crim. part. 1. qv. 40. n. 37.* sed disqviritur  
hic, quo jure obsessor obligetur ad poenam, & an poena hæc  
proportionata sit delicto? Qvod obsessio viæ perfecta &  
consummata delictum sit, ex antè dictis sufficientissimè pa-  
ret. Jam autem delinqvens ad poenam aliàs & civiliter &  
naturaliter obligatus est: Civiliter, tūm qvia jus civile certa  
nomina & poenas delictorum invenit, tūm, qvia delicta pu-  
nienda esse asserit *L. 13. ff. de Offic. Præsid. L. 12. ff. ad L. Aqvil.  
L. 3. C. de Episcop. Audient.* Naturaliter, (1) qvia delinqvens na-  
turā videtur consentire in poenam. *L. 34. ff. de Jure Fisc.* ita  
quidem *Grot. d. f. B. & P. l. 2. c. 20. n. 2. in f.* Sed rectius dici-  
tur, ex ipso maleficio propter æqvitatatem & communem u-  
tilitatem oriri obligationem, princ. *Instit. de Obligat.* qvæ  
ex delict. *Magnif. Dn. Ziegler. ad Grot. d. l. p. 427.* (2) qvia  
deficiente consensu æqvitas naturalis prohibet delicta,  
& ob ea poenas solvi svadet. *L. 70. §. 5. ff. de Fidejussorib.*  
Cum autem poena Criminis, hujus obsessionis viæ in Jure  
civilis adeò præcisè determinata non sit, qvia Jus Civile non  
de omnibus casibus potuit scribi *L. 10. 11. & 12. ff. de LL.*  
Hinc Sereniss. Legislator Saxonius salutem & tranquilli-  
tatem publicam maximè cordi habens, voluit & circa hanc  
qvoqve delicti speciem penaliter disponere ductus, & Jure  
dlvi

divinō, qvod expressē dicit: proximum suum esse diligē-  
dum sicut semetipsum. Jam autem qui proximū offendit, &  
vulnerat, vel alio modo insidiatur, proximum certè non  
diligit; ne dicam qvod multa sint delicta & maleficia con-  
tra Decalogum commissa, qvibus admissis à Magistratu-  
m Decalogi custos sit, jure divinō animadvertere licebit.  
Vid. Ames. lib. 5. de Conscient. 54. qu. 2. Si id in talibus, cur  
non & in iis, qvibus & amor proximi negligitur & flocci-  
penditur, punire Magistratui liceret. Ductus quoq; Jure  
naturali, qvod neminem lædendum esse dictat. Nihil nam-  
queconveniens magis naturæ est, qvā ut homines in Civitate  
pacificè inter se agant, & licet alter fortassè fuerit Iesus, ju-  
sto tamen modo, & per legitimos tramites vindicare id de-  
bet ac potest. pr. prooem. Inst. ut non opus habeat ad ultio-  
nem seu vindictam propriam confugere, quam & Jus Ci-  
vile omnibus lubentius respuit. L. 13. ff. qvoda met. cauſ. L.  
14. C. de Judeis. Ductus deniq; ratione rectâ, qvā vidit Le-  
gislator, eos præmiis & honoribus afficiendos esse, qvibene  
in republicâ vivunt, malos è contrario pœnis subdendos &  
coercendos, ut omnis malitia, omnes infidiae & fraudes,  
qvæ qvovis etiam modo tranquillitatem Reipublicæ tur-  
bant & lædunt, exterminari & à Republicâ quam longissi-  
mè eliminari debeant.

### XIX.

Pœnam ipsam qvod attinet, loquitur disjunctim Se-  
reniss. Saxo, ut, qui leviter vulneraverit, carcere puniatur,  
vel ad tempus relegetur, qui verò graviter, ei manus am-  
putetur, vel virginis cæsus in exilium perpetuum mittatur.  
Et rectè quidem, alia enim pœna & gravior quidem est ut,  
amputatio manus, & fustigatio, ita ut illa qvandoq; in ca-  
stigationem, hæc vicissim in pecuniariam, pro ratione cir-  
cumstantiarum converti & immutari possit. Levia autem

D 3      seu



seu modica vulnera sunt, wann einer Blutrüst/ oder mit  
Knütteln braun und blau geschlagen wird. Pro ma-  
joribus verò & gravioribus reputantur, welche in den  
Hals/Arme/Beine/oder and're ende des Leibes gehau-  
en/da bald die Knochen und Beine getroffen werden/  
ob sie wohl von den Knochen / des mittelsten Fingers  
tiesse/nicht erreichen. Item: ein jede Wunde in das  
Haupt durch die Schale. Item: ein Auge aus/ oder  
beide/die Nase ab/eine Wunde durch die Backen/ ein  
Ohr ab &c. und alles anders das Lämmniß bringet.  
Berlich. part. 4. Concl. 20. n. 20. § 21. Sed num gravior ad-  
huc determinari possit pœna in ejusmodi delinqventes  
disqvirunt Dd. producunt hanc in rem Gloss. Gerin. in  
Weichbild. art. 38. n. 15. vers. Lagerung / das ist Wege-  
lagerung/junct. vers. und dem schlägt man das Haupt  
abe/qvæ pœnâ capitali afficiendos esse obseciores asserit.  
Sed Resp. Carpz. prax. Crim. part. 1. qv. 40. n. 38. § 39. dict.  
Gloss. loqui de crimine fractæ pacis publicæ, seu de iis ob-  
sessionibus, qvæ ex causâ prædationis vel diffidationis & Si-  
milibus fiunt, de qvibus obsecoribus, dubium nullum est,  
qvin capite plecti possint; nihilominus & propter illas via-  
rum occupationes, qvæ sine causâ prædationis vel diffida-  
tionis fiunt, pœnam gladii à Scabinis Lipsiensibus qvon-  
dam dictata m fuisse refert Berlich. cit. loc. n. 28. Sed specia-  
lis ibi tractatur casus, ubi nonnulli in Mistrum Verbi divi-  
ni, dum Sacrorum celebrandorum causâ ad vicinam Ec-  
clesiam ire vellet, in itinere expectarunt, eumque multis  
vulneribus affecerunt, & à concione & sacræ Cœnæ admi-  
nistrazione impediverunt, sicuti idipsum ex adductis &  
annexis ibidem rationibus optimè inclarescet; Ergò non  
tām viæ, qvām itinerum obsecatio adfuit, qvæ accedente  
personæ & aliarum circumstantiarum qualitate delicti pœ-  
nam non immerito aggravare potuit.

XX.



Ultimò demum loco de applicatione hujus pœnae a  
liqvid monendum duxi; & qvidem certum est, qvod fusti-  
gatio, in perpetuum exilium missio & ad tempus relegatio  
adhuc hodiè in usu sint, & separatim insuper applicari pos-  
sint, non obstante, qvod hodie una eademq; pœna esse  
videantur fustigatio & relegatio, nam qui virgis cæditur, in-  
simul quoq; vel in exilium perpetuum mittitur, vel rele-  
gatur. Resp. Licet id communiter fieri consverit, & for-  
tè non sine causâ, quam adducit Dn. Carpz. d. l. n. 45. ut  
scil. scandalum removeatur, neq; ex rei infamia, ob quam  
ejusdem conversationem homines fugiunt, aliud gravi-  
usq; malum oriatur; tamen non sunt unum idemq;, nulla  
enim consequentia est, virgis cæsus insimul in exilium  
mittatur, E. fustigatio & relegatio sunt unum & idem, ma-  
nent diversitas pœnarum, tametsi relegatio fustigationem è  
vestigio seqvatur. Sed in tali casu videretur reus duplici  
pœna affici, qvod absurdum? Resp. Absurdum alias non  
est, ut aliquis ob delictum pluribus pœnis afficiatur l. 2. D.  
de priv. delict. v. Carpzov. Pr. C. p. 3. q. 132. Nihilominus  
fustigatio & relegatio hodiè adeò inter se connexa sunt,  
ut unum alterum seqvatur necesse sit, adeoq; in applica-  
tione convenienter tanquam antecedens & necessarium  
consequens; præcedit fustigatio, ut relegatio vel ad tem-  
pus, vel in perpetuum subseqvatur. E. reus non habet,  
qvod querulari possit. Num amputatio manus quoq;  
adhuc hodiè in usu sit. Vid. Carpz. cit. loc. n. 41. ubi senten-  
tiam Chiliani Reguli in process. c. 138. §. begebe es sich  
aber/in verb. das von wegen bößlicher Verwundung/  
die abhauung der hand/ bevorab nach Sachsischem  
Rechten iho nicht mehr in übung stehet/rejicit, & con-  
trarium non tam ex consuetudine notoriâ, quam expres-

as

sis Juris Saxonici textibus, probat. Illud saltem quæritur.  
Quænam manus delinquenti sit amputanda? Resp. ea, quæ  
debilior est, & quæ magis carere potest. Jul. Clar. in practic.  
§. fin. qu. 66. n. 4. & Dn. Carpz. supr. cit. loc. n. 43. Quid ve-  
rò si unam saltem habeat manum, an ea nihilominus de-  
bet amputari? Hic Dd. in diversas se discindunt partes. Nos  
impræsentiarum Dn. Carpzovium prax. Crim. part. 1. qu  
40. n. 48. seqvimus, qui expressè dicit, quod in tali casu  
amputatio manus seu rescissio digitorum reo sit remitten-  
da & in aliam poenam commutanda; quomodo pro Rele-  
gatione simplici ita à Scabinis Lipsiensibus pronuntiatum  
fuisse ipse refert Mens. sept. Anno 1625. & pro fustigatione ex  
Hartmanno Pistor. Observ. 188. n. 5. Addatur Jul. Clar.  
lib. 5. sentent. §. fin. qu. 69. n. 5. Et hæc de Obsessione viæ  
pro temporis qualitate dixisse sufficient. Soli

interim DEO sit Laus, Honor &  
Gloria.



94 A 7360

94 A 7360



spatia saepe  
in miliori munitione p

B.  
ante et omnia que  
cum vobis vana que

habeat dicitur id est  
vobis. Eius

# Farkarte #13

B.I.G.

Black	
3/Color	
White	
Magenta	
Red	
Yellow	
Green	
Cyan	
Blue	

E. L. E. D.  
IO JURIDICA  
DE  
SSIONE  
IÆ,  
Quam,  
ici JCtorum Ordinis,  
ia Leucoreæ,  
ESIDE,  
VIRO  
isimo, Consultissimo,  
missimoque  
MO NERGERO,  
c Academia longè Celeberri-  
atus, & Facultatis Juridicæ,  
Judicij Provincialis, quod  
t, Adseffore gravissimo,  
orum suorum Promotore  
levenerando,  
iendim proponet,  
UTOR  
SCHRAADERUS,  
ourgensis,  
o JCtorum  
M. DC. LXVIII.

his Haken.

